

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1899

Auteur(s) : Hugues de Morville, Coutances (évêque)

Bénéficiaire(s) : Coutances (hôpital-Dieu)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1209, juillet

Lieu d'émission : Coutances

Action juridique : fondation

Langue du texte : latin

Analyse

Hugues, évêque de Coutances, construit un hôpital à Coutances et y établit une confrérie.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta ecclesiae Constantiensis, n° XXVII, col. 253-254.

b. Le Cacheux Paul, *Essai historique sur l'Hôtel-Dieu de Coutances*, l'hôpital-général et les Augustines hospitalières depuis l'origine jusqu'à la Révolution avec cartulaire général, Paris, Picard, 1895-1899, 2 vol., t. 2, n° I, p. 1-2.

Texte établi d'après a

Universis Christi fidelibus in Constantiensi episcopatu constitutis, Hugo, Dei gratia, Constantiensis episcopus, salutem in Domino. Considerantes attentius nostram et singulorum quorumque tenuitatem et defectum in operibus misericordiae quae ad salutem proficiunt animarum, et praesertim circa hospitalitatis gratiam, per quam multi placuerunt Deo, angelis hospitio susceptis, ad quam nos omnes Apostolus invitat et hortatur, Hospitalitatis, inquiens, nolite oblivisci ; et iterum, hospitales estote : attendentes etiam quia charitas non quaerit quae sua sunt, sed quae Jesu Christi, nec propria communibus, sed communia propriis anteponit, de communi fratrum nostrorum consilio, ad communem totius nostrae diocesis utilitatem, in honore sancti Spiritus, et beatae Mariae, et beatorum apostolorum Jacobi et Johannis, et S. Antonii confessoris, hospitale quoddam ad susceptionem pauperum et peregrinorum de communibus pauperum Christi thesauris in sinibus quorum Christi thesauri latitant et affluenter abundant, apud Constantias construximus, Domino annuente, de cujus misericordia plene confidimus, quod per S. Spiritus gratiam septiformem, septem ibi misericordiae opera complebuntur, videlicet in esurientibus pascendis, potandis sitientibus, nudis cooperiendis, suscipiendis hospitibus, infirmis visitandis, incarceratis confortandis, et in sepultura mortuorum. Per haec enim septem misericordiae opera praeunte Spiritus septiformis gratia, septem peccata criminalia in quibus animae languent, post veram cordis contritionem, orisque confessionem credimus relaxari. Ut igitur quod ad communem utilitatem pie factum est, omnibus proficiat ad salutem, et ut in die tremendi iudicii non timeamus a verbo aspero et terribili, quoniam malis post exprobationem corporis et negligentiae quam in hoc mundo erga misericordiae opera praedicta habuerint, a summo iudice dicetur : Ite maledicti in ignem aeternum, etc. si potius per misericordiae opera liberati mereamur audire : Venite benedicti patris mei, etc. communi consilio ad praedictum hospitale regendum, et ad pauperes perpetuo ibidem sustentandos, in honore sancti Spiritus omniumque Sanctorum fraternitatem constituimus, non solum nobis et vobis, verum etiam

generationi posteræ profuturam. Confidentes autem de Dei misericordia qui dicit : Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, meritisque beatæ Mariæ et omnium Sanctorum, omnibus illis qui prædictam confraternitatem intraverint et tenuerint, secundum suas facultates, eidem hospitali ad usus pauperum de suo aliquid conferendo, septimam partem injunctæ sibi pœnitentiæ misericorditer relaxamus : ad petitionem vero nostram capitulum Constantiensis ecclesiæ, et omnes abbatia Constantiensis diœcesis, cum fratribus ejusdem hospitalis et singulis ejus benefactoribus, omnium orationum suarum communem participationem benigne et liberaliter concesserunt ; et quod pro confratribus et benefactoribus defunctis in singulis ecclesiis per annos singulos unum facient annuale, quæ scilicet novem sunt, capitulum Constantiense unum, abbatia Cæsaris-burgi unum, abbatia Montis-burgi unum, abbatia S. Salvatoris unum, abbatia de Blanca-landa unum, abbatia Exaquei unum, abbatia sancti Laudi unum, abbatia de Hambeia unum, abbatia sancti Severi unum, quod quidem in eorum martyrologiis scribetur, ut per annos singulos ad memoriam revocetur. In signum autem hujus concessionis, cantor Constantiensis et singuli abbates capitulorum suorum sigilla apposuerunt, consensum suum munimine sigillorum confirmantes. Rogamus itaque vos et exhortamur in Domino, ut nullus omnino se excuset, sed confratres Christi pauperum fieri festinate, ut quos vobis amicos feceritis de mammona iniquitatis, recipiant vos in æterna tabernacula, de collatione bonorum temporalium centuplum de bonis æternis recipiatis, et vitam æternam possideatis. Illis autem qui confratram colligent fideliter et conservabunt, si tempore interdicti decesserint, ecclesiasticam in singulis parochiis concedimus sepulturam. Hæc autem confratria instituta est ex quo domus fundata fuit, videlicet anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo nono, in capitulo Constantiensi, mense Julii.